

Licet enim resignationes ex levibus aut nullis causis, vel incoitu carnis & sanguinis, aut cum *occulta* pactioe Simoniacae, vel confidentiali factae & admittae coram Pontifice, vel Ordinariis in locis ubi constitutio recepta non est, lege *positiva* non irritentur, aut in foro fori tamquam invalidae non semper argui queant, semper tamen coram supremo Jure, & in foro poli ut illicitae & Legi aeternae contrariae condemnabuntur; quemadmodum supra circa dispensationem Pontificiam super pluralitate Beneficiorum notavimus; & infra circa collationem Beneficiorum factam minus dignis, omittis dignioribus; notabimus.

XXXV. Sed dicit quis, passim solent fieri permutationes Canoniarum aliorumque Beneficiorum notabilium cum Beneficiis simplicibus, frequenter etiam nullius proventus, quae *De Pertusa* dici consueverunt; & quibus etiam ipsi resignantes numquam intendunt de servitute, quinimo eadem mox absoluta permutatione dimittere intendunt ita ut fat appareat, hujusmodi permutationes eo solo sine fieri, ut Ordinariis libera provisio eripiat, & notabilia Beneficia cedant Resignantiis. Negari non posse videtur, similes resignationes saepe de fraude, & de carnali affectu merito esse suspectas, & raro totaliter ab iis exemptas.

XXXVI. Fieri tamen potest, ut quis hujusmodi resignationibus vel permutationibus, postquam usus nunc invaluit, recte utatur.

Quid si enim videat, quod canonicatum ulterius deservire nequeat, aut satis appareat, se aliud vocari; & consequenter intelligat, Ecclesiam melius & utilius esse, ut Canoniam dimittat, at una advertat, quod si liberè eum ad manus Ordinarii dimittat, eum verisimiliter indigno, aut certe parum digno conferendum. Quidni eo casu, ut consulat Ecclesiam, eum potius resignabit ex causa permutationis illi, quem scit admodum Beneficio illi convenire multumque fructus in Ecclesia adferre posse: id unice in hac permutatione praeculis habens, ut Ecclesiam de optimo ministro provideat; mediante quidem medio, quo male abutuntur; sed quo jam introducto, ipse in utilitatem Ecclesiae bene utitur, cavendo tamen, ne id in pusillorum scandalum cedat.

CAPUT III.

De Procuratorio ad resignandum.

1. Resignatio Beneficii fieri potest per procuratorem etiam laicum.
2. Procurator ad resignandum hodie constitui solet per instrumentum publicum.
3. Debet Procuratorium conscribi à Notario, & qualis hic esse debeat?
4. In Camera Apostolica non admittitur Procuratorium, nisi prater Notarium adsit sigillum communitatis.
5. Resignans unà cum Notario instrumento subscribere debet.
6. Requiritur procuratorium speciale.
7. Quod hic dicatur speciale.
8. Procuratorium ad acceptandum simul & resignandum non valet.
9. Ratio ob quam speciale mandatum requiritur, evincit hanc disciplinam esse recentem.
10. Procurator praestare debet juramentum in animam resignantis.
11. Querela Synodi Colonienensis de precipitiis & facili hujus juramenti praestatione.
12. Quod hic optat Synodus merito & in aliis juramentis servaretur.

mentis servaretur.

13. Procurator ad resignandum constitui solet cum facultate substituendi: & quando substituens possit nisi mandato.
14. Refertur Regula Cancellaria de Consensu praestando in resignationibus.
15. Ratio hujus Regulae.
16. An praesens in Curia possit praestare consensum per Procuratorem?
17. Quo loco hic consensus praestandus?
18. Qualis hic consensus requiratur?
19. Hic consensus demum perficitur resignationem.
20. Procuratorium ad resignandum datum sine limitatione temporis quam diu duret?
21. Morte mandantis expirat procuratorium ad resignandum.
22. Aliquando mortuo mandante potest Procurator ad huc praestare consensum.
23. Procurator revocatus potest praestare consensum quamdiu revocatio non fuit intimata.
24. Revocatio Procuratoris non extinguitur mandatum, nisi revocatio sit intimata.
25. Quo modo & cui haec intimatio faciendae?
26. Quamdiu Resignanti sit liberum revocare mandatum?
27. Dato procuratorio ad resignandum coram Papa, non potest fieri resignatio coram Ordinario.
28. Quae in constitutione Procuratoris hodie exiguntur, antiquitus incognita fuerunt.

Resignatio sive resignatio tam simplex, quam in favorem vel causa permutationis; fieri potest non tantum per ipsum Resignantem, sed etiam per Procuratorem seu Mandatarium.

Et quidem cum Procurator resignationem faciat nomine alieno, potest non tantum Clericus, sed & laicus Procurator constitui, uti post Glossographum ad *Clementinam unicam De Renunt.* notat Rebuffus in *Praxi parte 3. tit. De Procuratoris ad resignandum constitutione n. 17.* quamvis secundum Glossographum tutius videatur constituere Clericum.

II. Procurator autem constitui potest, vel per litteras privatas ipsius Resignantis, vel per instrumentum publicum: atque hoc posterius est tutius, & fieri consuetum. Imò monet Rebuffus loco citato n. 5. quod *vix recipiuntur litterae privatae ad resignandum*: asseritque Flaminius Patius lib. 9. *De Resignat. Benef. qu. 6.* non semel fuisse resolutum in Cancellaria Romana, non posse aliquem vigore Epistolae missivae praestare consensum resignationis: & ideo hodie (ait) communis & recepta ex stylo sententia est, mandatum requiri ad renuntiandum in forma publici instrumenti.

III. Hinc primò requiritur, ut confectum sit à Notario publico eoque Apostolico, praecipue si de resignatione faciendae in Curia Romana agatur. Imò si juxta consuetudines aut leges patriae requirantur duo Notarii pro forma publici instrumenti, debebunt & in confectioe hujus Procuratorii duo intervenire: quia aliàs non esset in forma publici instrumenti.

IV. Monet Flaminius Parisius loco allegato *qu. 7. n. 2.* non sufficere instrumentum Procuratorii esse confectum in forma solita, ut admittatur à Notariis Camerae & Cancellariae, sed ulterius requiri, quod fuerit obsignatum sigillo publico judicis ordinarii vel communitatis; & melius esset, ait, ut utrumque sigillum apponatur, & postea debet fieri recognitio sigilli, ut de stylo observatur.

V. Deinde numer. 3. & 4. notat ex Rebuffo. In Gallia lege Regia cautum est, ut Resignans subscribat instrumentum resignationis: idque optimum

esset (ait) ut ubique fieret ad tollendam fraudem.

Hic in Belgio hodie receptum est, quod Resignans unà cum Notario ipsi instrumento subscribat, quin & in omnibus publicis instrumentis observatur, ut partes subscribant: non autem testes, nisi in testamentis ex-Edicto Perpetuo Principum nostrorum de an. 1613.

VI. Praeterea ad resignandum debet esse mandatum speciale, uti post alios citatos docet Flaminius dicta *qu. 7. n. 9.* quod & expressè habet Regula Cancellariae 45. *De Consensu in resignantibus* in verbis: *Per Procuratorem suum ad hoc eo SPECIALITER constitutum.* Et in Regno Galliae cautum esse, nullum Procuratorem resignare posse ex procuratorio generali, monet Rebuffus loco citato n. 23.

VII. Speciale mandatum hic dicitur, si nominetur expressè Beneficium, & detur facultas renuntiandi. Debet autem Beneficium resignandum describi, & exprimi nomen & locus ubi est, ut de stylo fieri videmus, ait Flaminius n. 20.

Hinc ulterius refert, non admittendum procuratoriū generale ad resignandum omnia & quaecumque Beneficia quae constituens habet: testaturque Carolus Fevretius *De Abusu lib. 2. c. 6. n. 6.* hujusmodi mandata generalia ad resignandum esse declarata abusive & nulla per Edictum Henrici II. Regis Galliae an. 1550. subditque ex Molinæo in Commentario ad hoc Regium Edictum: *Mandata illa generalia, tam de jure Canonico, quam multis Curiae Senatusconsultis fuisse reprobata, utpote multis fraudibus obnoxia, & disciplinam Ecclesiasticam inquinantia, quae quidem disciplina non admittit in spiritualibus generalitatem.* Citat quoque ibidem decisionem Rotae conformem.

VIII. Multò minus recipitur procuratorium ad acceptandum & resignandum simul aliquod Beneficium, uti notat Rebuffus n. 16. quia non potest quis constituere ad renuntiandum Beneficio quod nondum habet. Nec refert, quod procuratorium detur in tempus, quo habiturus est: quia hoc ipsum reddit procuratorium incertum. Deinde, uti rectè advertit Flaminius lib. 9. *qu. 10.* ad validitatem mandati inspicitur tempus, quo instrumentum procuratorii fuit confectum; quo tempore Beneficium resignandum non habebatur: unà monens, peccare illum qui acceptat beneficium, ut illud postea renuntiet, additque: *Ob id in Curia de stylo, quando datur examen, apponitur clausula: Dato prius juramento, quod illud non recipiat animo renuntiandi.*

IX. Et ita quidem exigitur speciale mandatum, ut nec generale etiam cum libera sufficiat; idque ideo quia resignatio seu renuntiatio Beneficiorum habetur pro *donatione*; quae requirit speciale mandatum: eò quod non confectum quis constituendo Procuratorem ad administrandum dedisse mandatum ad donandum. Quae ratio à Doctoribus communiter allegari solita, fat insinuat, hanc opinionem praxim exigendi speciale mandatum ad resignandum, primò sui originem habuisse postquam Beneficia potissimum penes commoda temporalia considerari coeperint, ipsi oneribus spiritualibus, quae Beneficiis annexa sunt, non attentis. Quo factum est, ut Beneficia tamquam multum commoda & utilia ipsis Beneficiariis considerari & reputari coeperunt; cum tamen secundum veram eadem, & Ecclesiae ac Fundatorum intentionem, reputari deberent tamquam onera humeris Beneficiatarum imposita propter officia eis annexa. Interim undecumque praxis haec originem habuerit, equidem cum inducenda sit observanda est.

X. Praeterea speciale mandatum exigitur ob juramentum à Procuratore in animam resignantis praestandum; quod in hac resignatione non intervenit *fraus, dolus, Simoniae labe, seu quavis alia illicita pactio seu etiam corruptela*, quod juramentum in omni resignatione praestari debet: ut & propterea expressè clausula de hujusmodi juramento praestando Procuratoris de resignando inferi consueverint.

XI. De hoc juramento exigi solito loquitur Synodus Colonienensis anno 1536 *parte 1. c. 34.* asseruntque ibidem hujus Synodi Praelati, sibi haud clam esse, in resignationibus & permutationibus multa *incipitia perjuriae* committi ab his, qui frequenter, subito ac non praemeditati aut ipsi, aut per suos Procuratores (id quod ejusdem reatus & culpa est) jurejurando ante manus impositionem, testantur, in hujusmodi resignationibus seu permutationibus nullam Simoniae labem, aut aliam illicitam intervenisse corruptelam: cum res iniqui jurebò longè secus habeat, per quod ipsi gravem in se Dei iram procul dubio provocant.

Deinde concludunt: *Majori ergò curâ, diligentiori, quam antehac fieri consuevit, per investigationem praeviam, haec juramenta exigi convenit.*

XII. Utinam non tantum in hujus juramenti exactioe, sed & eorum quae in assumptione ad officia, opificia, nec non Gradus Academicos exiguntur, hoc Synodale monitum attenderent, quibus juramentorum exactio incumbit? Nimis enim notum est, quàm *subitò, ac non praemeditatè* haec juramenta soleant praestari.

XIII. In procuratorio ad resignandum solet dari Procuratori constitutio potestatis alium *substituendi*, cum eadem auctoritate qua ipse constitutus est. Hoc casu Substitutus non solum suum mandatum substitutionis debet exhibere. Sed etiam mandatum Procuratoris à quo fuit substitutus. Fevretius *De Abusu lib. 2. c. 6. n. 5.* testaturque, cautum Edicto Henrici II. Regis Galliae. Procuratorem ad resignandum in Curia Romana se negotio resignationis immiscere non posse, nisi ipsum *procuratorium* ad resignandum reipsa habeat.

XIV. Per Regulam Cancellariae, quae hodie est 45. & inferibitur, *De Consensu in resignationibus, & pensionibus*, Papa voluit & ordinavit, quod super resignatione cuiuscumque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contingerit, Apostolicae litterae nullatenus expediantur, nisi Resignans, vel cedens, si praesens in Romana Curia fuerit, *personaliter*, alioquin per Procuratorem suum, ad hoc ab eo *specialiter* constitutum, expeditioni ejusmodi in eadem Cancellaria expressè consentit & juraverit, ut motis est. Et si ipsum Resignantem seu cedentem pluries super uno & eodem Beneficio, in favorem diversarum personarum succellivè consentire contingerit, voluit Sanctitas sua, quòd primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus, ac litterae eorum praetextu etiam sub priori datae expeditione pro tempore nullius sint roboris vel momenti.

XV. Haec regula fuit edita ad tollendas fraudes, quae possent oriri: quia posset quis nomine alterius portigaret supplicationem resignationis, & alium private Beneficii. Nam consensus per supplicationem sufficiebat de jure communi. Igitur ad tollendas fraudes, cautum est, requiri consensum praestatum per se, vel per Procuratorem specialiter ad hoc constitutum. Ita Chokier ad hanc Regulam n. 9.

XVI. Ex verbis Regulae notorium est, quod praesentes in Curia debeant *personaliter* praestare consensum neque posse constituere *Procuratorem* ad resignandum. Absentes autem consensum praestare teneantur per Procuratorem ad hoc *specialiter* constitutum. Monet nihilominus Flaminius Parisius lib. 9. *De Resignat. Benef. qu. 12. n. 8.* quod quando consensus praestatur in Camera Notarii Camerae admittant Procuratores etiam praesentium.

XVII. Consensus autem hic exprimensus est in Camera vel Cancellaria: id est coram Notariis Camerae vel Cancellariae.

cellaria. Hinc inferit Flaminius Parisius *De Reſignat. Benef. lib. 8. qu. 8. n. 3.* non ſufficere conſenſum etiam *expreſſum*, ſi ille conſenſus fuit præſtitus alio in loco, quàm Camera vel Cancellaria.

XVIII. Notat quoq; n. 28. non eſſe validum conſenſum, qui colligitur ex ſupplicationis porrectione ad effectum, ut abdicetur jus à Reſignante, & ſatiſſat huic Regula. Utterius n. 19. inferit, non eſſe ſufficientem, quoad hunc effectum, conſenſum qui appellatur *parvus*. Nam *parva* data & *parvus* conſenſus datur à Datario & remanet penes partes.

XIX. Deniq; monet n. 41. poſt præſtitum dictum conſenſum abdicari jus à. Reſignante: non autem ante. De quo latius agemus c. 5. Et n. 43. dicit, juxta omnes, hunc eſſe *formalem* conſenſum; à quo computatur tempus, de quo in Regula *De Infirmis Reſignantiſus*, de qua tractamus c. 5.

XX. Mandatum ſeu procuratorium ſemel legitime, & ſine limitatione temporis datum, ſolo lapſu temporis, etiam pluriſum annorum, de jure communi non expirat aut revocatum præſumitur. Unde refert Flaminius Parisius *lib. 9. qu. 13.* reſolutum fuiſſe in *Rota Romana*, conſenſum præſtitum poſt quadriennium a die conſecti procuratorii eſſe bonum: quia voluntas ſemper cenſetur durare, donec de mutatione non appareat.

At in Gallia, reſignatio vi procuratorii anno elapſo facta non valet, ut lege Regiæ cautum eſſe teſtatur Rebuffus loco ſupra citato n. 18.

XXI. Licet de jure ſolo temporis lapſu non expiret, aut revocatum cenſetur procuratorium ad reſignandum, nihilominus quia eſt verum mandatum, etiam communibus regulis mandati ſubjicitur, & iſdem modis extinguitur.

Unde ſicuti de jure mandatum *re integra* ſolvitur & expirat morte Mandantis; ita & procuratorium ad reſignandum extinguitur per mortem Reſignantis communis eſt omnium opinio; & non obſcurè probatur in *Clem. ultima De Procuratoribus*: idque etiam procedit, licet ipſe Procurator ignoraverit mortem Reſignantis: modo tamen ante exhibitam ſupplicationem Reſignans reverà mortuus fuerit; uti rectè notat Flaminius *lib. 9. qu. 24.*

XXII. Si tamen vivente Reſignante ſupplicatio reſignationis fuerit per Procuratorem exhibita, & ſignata vivente Reſignante, poteſt Procurator vi ejuſdem mandati poſt mortem Reſignantis præſtare conſenſum in Cancellaria vel Camera pro expeditione litterarum; ut allegata Regula Cancellariæ ſatiſſiat.

Hanc eſſe communem opinionem probatam per Alexandrum VI. & Leonem X. aſſerit Flaminius Parisius *lib. 9. qu. 24.* Procurator enim poſt mortem Domini tamen nova negotia inchoare nequeat, poteſt tamen conſummare quæ per ipſam inchoata erant ante mortem mandantis, ut vulgo tradunt Juriconſulti. Hoc eo magis in præſenti caſu procedit; cum Reſignatio per ſupplicationem *ſignatam* videatur *juſ acquiſitum*; uti advertit Flaminius n. 18. Ipſi enim conſenſus poſtea præſtandus in Camera vel Cancellaria, non tam exigitur ad perfectionem ipſius reſignationis, quàm ad expeditionem litterarum, quæ ad probationem tantum requiruntur, ideoque conſenſus datus etiam ad *diem ſignatæ* ſupplicationis retrohabetur.

XXIII. Id quoq; procedere, dicit Flaminius n. 24. etiam ſi probaretur, conſtituentem ante ejus mortem mutiſſe voluntatem. Nam ſi illa voluntas *revocata* non fuit intimata, juxta *Clementinam Unicam De Renuſ.* poteſt Procurator eo mortuo præſtare conſenſum formalem. Rationem ſubjungit n. 26. quia juxta citatam Clementinam non ſufficit, revocationem eſſe factam, ſed debet eſſe, intimata.

XXIV. Cum enim illuſio & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maxime ſit vitanda, conſtituitur in citata *Clemen*

ina, ut ſi quis ad cedendum Pontificali, aut alii cuiſlibet Dignitati vel Beneficio Procuratorem ſpontè ac libere conſtituerit & ipſum ignoranter poſtmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat ceſſio facta per eum, antequam ad ipſum, vel illius (in cujus manibus ceſſio fuerat faciendâ) *notitiam revocatio* hujusmodi ſit deducta.

Itaq; non ſufficit revocatum eſſe procuratorem, niſi ipſa revocatio ſit ad notitiam deducta ſive intimata, & ita in praxi receptum eſſe teſtatur ibidem Flaminius *lib. 9. qu. 25. n. 25.*

XXV. Sufficit autem hanc intimationem factam eſſe vel procuratori, vel ipſi Superiori, in cujus manibus reſignatio faciendâ erat; uti conſtat ex verbis Clementinæ ſupra relatæ.

Hinc deducitur, intimationem factam in Camera vel Cancellaria ſufficere, quando Procurator conſtitutus eſt ad renuntiandum coram Pontifice: quia quæ ſunt in Camera vel Cancellaria, dicuntur fieri in conſiſtorio Papæ; atq; ita ſæpius reſolutum fuiſſe, ſufficere intimare Notariis Camera vel Cancellariæ, teſtatur Flaminius ibidem *qu. 26.* qui & ibi exponit, quâ formâ revocatio & intimatione revocationis in Curia Romana fieri debeat & ſoleat.

XXVI. Cæterum indubitatum eſt, Reſignantem quovis tempore uſque ad conſummationem actûs poſſe liberè mandatum revocare, ipſiusque negotii jam inchoati progreſſum ulteriorem per revocationem mandati ſiſtere.

Hinc concluditur, revocationem Procuratorii, etiam poſt porrectionem ſupplicationis, ejuſque ſignaturam, eſſe validam eatenus, ut Procurator vi iſtius mandati non poterit poſtmodum in Camera vel Cancellaria præſtare *formalem* conſenſum, uti deſiſum aliquando fuiſſe refert Flaminius citato *lib. 9. qu. 28.*

XXVII. Si quis procuratorium dederit reſignandi beneficium ad manus Papæ, non poterit illud reſignare coram Ordinario, niſi prius actum revocationis in Curia Romana inſinuaverit; atq; renuntiationem in præjudicium hujusmodi procuratorii factam coram Ordinario eſſe nullam judicavit aliquando Senatus Tholoſanus, quem admodum teſtatur Joannes De Salva *De Beneficiis parte 3. quaſt. 16. num. 14.* idque conformiter ad *Cap. 2. De Poſtulat. Prælat.* ubi vetatur, poſtquam poſtulo au fuit præſentata Papæ, ab ea recedi, ne videatur Papæ illud.


XXVIII. Eorum, quæ hodie in conſtituendo, & revocando procuratore ad reſignandum, item de præſtando conſenſu, vel ex uſu, aut Pontificum, vel aliorum Superiorum auctoritate inducta ſunt, pauca, aut nulla in præſenti Canonibus aut libris reperies: iudicium ea nonniſi poſtremis hiſce ſæculis invaluiſſe, poſtquam reſignationes & permutationes fraudibus multis & technis permixtis, invaluerunt; atq; de Beneficiis penè non ſecus ac de rebus temporalibus diſponi & quodammodo mercari ceptum eſt. His ut obviaretur eas cautiones hinc adhiberi viſum quas in negotiis civilibus Imperatorum Leges adhiberi volebant.

CAPUT IV.

Quinam Beneficia ſua reſignare poſſint.

1. *Hodie omnes poſſunt reſignare Beneficium, niſi expreſſè prohibeantur.*
2. *Hinc obtinens Parochiale Beneficium reſignare de jure communi ultimo die anni dati ad ſuſcipiendam Sacerdotium.*

3. *Id tamen non admittitur ex hodierno ſtylo Curia R.*
4. *An promovendi ad dignitates queant ſua beneficia reſignare, quoad tempus reſignationis non ſunt? & Regula Cancellariæ ſuper hoc edita.*
5. *Ratio hujus regula.*
6. *An hæc regula recepta ſit in Gallia.*
7. *Pendente judicio criminali poteſt Beneficium reſignari quoad tempus reſignationis non eſt.*
8. *An per ſententiam privatus poſſit reſignare pendente appellatione.*
9. *Putant plures id non tantum in reſignatione ſimplici, ſed & in favore procedere.*
10. *Non apparet generaliter præbenda hæc opinio.*
11. *Interdum conferitur Beneficium in caſum privationis accuſati; idque cum clauſula irritante provisionem alteri faciendam, quæ in Gallia non admittitur.*
12. *Reſignatio valet tamen ſi reſignans aliunde nihil habeat.*
13. *Non admittitur ex ſtylo Curia ſi reſignans ſit ſacro Ordine inſignatus.*
14. *Unde hic ſtylus originem habuit.*
15. *Non ſervatur in Gallia, nec Belgio.*
16. *Minor in ſpiritualibus quando habeatur pro majore?*
17. *Minor qui habeatur pro majore poteſt Beneficium reſignare.*
18. *Reſignationes Minorum reſiſſionem non ſolent eſſe obnoxie.*
19. *Reſignari nequeunt iis ſub quorum poteſtate & cura Minores conſiſtunt.*
20. *Reſcinduntur dum eas malis artibus extortas eſſe apparet.*
21. *Interdum reſignationes Minorum ſine omni ſuſpitione fraudis ſunt reſiſſionem parentibus.*

I.  Lim quidem rariùs permittebatur, ut Clerici ſemel alicui Eccleſiæ adſcripti eidem renuntiare poſſent. At labentibus ſæculis, labente ſenſu diſciplinæ, tandem quoq; invaluit, ut cuique quodammodo liberum eſſe credatur, non tantum à vinculo, quo per Beneficii collationem & inſtitutionem Eccleſiæ fuit alligatus, ſe omni tempore ſolvere; ſed in ſuper ipſum Beneficium quaſi ſibi proprium reſignare ſimpliciter, vel *in favorem alterius*, vel *ex cauſa permutationis*. Ideoq; Flaminius Parisius *lib. 3. De Reſignatione Beneficiorum quaſtione 1.* quaerens qui poſſunt Beneficia reſignare reſpondet: Regula eſt affirmativa omnes poſſe reſignare eorum Beneficia.

II. Hinc inferit *qu. 2. n. 8.* quod promotus ad Eccleſiam Parochialem poſſit reſignare *in favorem* Beneficium hoc Parochiale *ultima* die anni dati ad ſe promovendi faciendum ad ordines ſacros; tamen jam certò conſtat, ipſam intra annum ad Sacerdotium promoveri non poſſe; adeoque die ſequenti ipſo jure privandum Beneficio juxta Decretum Concilii Lugdunenſis in *Cap. COMMISSA De Elect.* n. 6. quod privat ipſo jure poſſeſſorem Beneficii Parochialis, ſi *intra annum*, ad Sacerdotium non ſit promotus, de quo latius ſupra titulo 19. c. 3. Rationem hujus conſeſionis allegat n. 9. Quia antequam annus ſit *ex toto* elapſus, jus eſt penes illum, qui vult renuntiare, ac perfectè.

III. Monet tamen n. 21. Hodie autem hujusmodi reſignatio non admittitur: namque quoties reſignatur Parochialis, ſtylus obtinuit, ut debeat exprimi, *per quatum tempus illam poſſedit Reſignans*, & ſi tempus eſt breve, ceſſio rejicitur; ſi autem hoc expreſſo Papa admittit reſignationem, nulli dubium eſt, valere.

Interim ex ſententia Flamini, quæ & communis eſt Canonistarum, in prædicto caſu reſignatio, niſi ſtylus quoad Parochialem ſpecialiter obſtaret, admitteretur hoc ſolo titulo, quod nondum anno *ex toto* elapſo, adhuc beneficiatus retineat jus in Beneficio.

IV. Eodem titulo promovendi ad quæcumque Prælatutas aut Dignitates, quoad tempus reſignationis non ſunt beneficia ſua reſignare poſſent niſi obſtaret Regula Cancellariæ 26. *De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Eccleſias & Monasteria*, quæ dicit: Nec non quæcumque collationes, provisiones, & diſpoſitiones pro tempore faciendæ de præmiſſis & quibuſvis aliis beneficiis Eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus, quæ per promovendos vel aſſumendos ad quæcumque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel aſſumptionis tempora ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis ubicumque reſignari, vel aliàs dimitti contingit, cum inde ſecutus pro tempore ſint caſus & irrita, nulli uſque robotis vel momenti.

V. Rebuffus in Commentario ad Concordata titulo *De Mandatis Apoſtolicis* finali notat, hanc Regulam editam eſſe ad obviandum fraudibus. Quia ille qui ſciēbat, ſe promovendum ad Episcopatum, vel Abbatiam, faciebat reſignationes ſecretas, vel permutabat cum alio Beneficio etiam minimo. Ideo facta poſtea promotione Papa erat illuſus, & nihil poterat conferre.

VI. Hæc Rebuffus, qui in Praxi Beneficiorum *parte 3.* in additione ad hanc Regulam, obſervat, quod Papa per eam Regulam videatur quodammodo reſervare ſuæ diſpoſitioni Beneficia illorum qui ſic promoventur. Unde putarem, (ait) in Francia, quod ſi iſte promovendus coram Ordinario reſignaret beneficia ante promotionem, quod illa collatio valerit: cum omnes regulæ ſapientes reſervationem ſint in Regno Francia ſublatæ.

VII. Eodem ex fundamento reus criminis, quod privationem Beneficii meretur, ſive ratione cujus reus per ſententiam Beneficio privati poteſt, non impeditur reſignare quoad tempus reſignationis non eſt; quemadmodum poſt alios citatos oſtendit Flaminius Parisius citato *libro 9. qu. 16.* idque etiam lite ſive judicio criminali pendente; tamen ſi probationes eſſent receptæ, & in cauſa conſeſum, Quia quoad tempus reſignationis non eſt privatus per ſententiam, adhuc remanet verus beneficiatus, retinetque titulum beneficii liberum; ac per conſeſum, nihil obſtat, quo minus illum reſignare aut permutare queat.

VIII. Quinimò etſi ſententia privationis fuerit pronuntiata, ſi ab ea appellatum ſit, poſſe pendente appellatione renuntiare, pluribus citatis docet Flaminius n. 25. & in facti ſpecie reſpondit Rebuffus *conſil. 32.* Quia per appellationem effectus ſententiæ ſuſpēditur, manetque poſſeſſor eodem loco, quo fuit ante ſententiam.

Si tamen is, qui nullum jus in Beneficio habuit, condemnatus appellavit, & pendente appellatione reſignaverit, placet reſignationem nullius eſſe momenti, quaſi quæ in fraudem facta ſit; præſertim ſi poſtea appellationem effectus ſententiæ ſuſpēditur, manetque poſſeſſor eodem loco, quo fuit ante ſententiam.

IX. Credit quoque Chokier ad Regulam Cancellariæ *De Annaliſus* aliſque ab eo citati, accuſatum de crimine non tantum ſimpliciter & purè inter manus Ordinaris Beneficium reſignare, ſive Beneficio cedere poſſe; ſed etiam *in favorem* coram Pontifice, vel *ex cauſa permutationis* coram Ordinario. Nam qui renuntiat jure ſuo utitur, & ideo nullam fraudem committit: quippe qui ſibi ipſi conſultatur, vel amico vel conſanguineo, eidem Beneficio renuntiat, non ut alteri noceat. Hæc Chokier ex Guitierrez.

X. Imprimis quàm parùm Miniſterio Eccleſiaſtico dignam ideam hæc ratiocinatio imprimat, probare opus non eſt; ſed & illud fallum eſt, per hanc renuntiationem, fraudem nullam committi. Licet enim tertio alicui injuria non fiat tamen ipſum judicium mutile redditur, ipſique juſtitia fraus ſit: cum ſat manifeſtè juſtitiæ & auctoritatis judicialis effectum impediatur, & vigorem enervet.